

1. Reg. 3.

Vera DEI & Mundi sapientia caelica dos est,  
Non annis potius quam tribuenda DEO:  
Vnde puer SALOMON, quo non sapientior ullus,  
Cor sapiens poscit supplice voce DEUM.  
Qui dare promisit fidei precibusq; piorum,  
Omne bonum, & mentes igne sagace trahit.  
Quod si juncta FIDES PIETATI jungere dextram  
Atq; DEO statuit, SPES jubet esse ratum.  
Hic FORTUNA pedem sistet sedemq; locabit,  
Hic erit Imperii firma columna sacri.  
Advenient CHARITES & figent oscula Pacis  
Imperio, ac populi crescet ubiq; Salus.  
Dumq; à patre pio nil differt cura Regentum,  
SPONSE Pater Patrie, SPONSA q; Mater eris.  
Pro quibus officiis gratos decet esse vicissim,  
Agnovisse volunt qui benefacta PATRIS.  
Pauca referre queunt, quibus est accisa domi res;  
Dona ferant alii, nos dare vota decet:  
Da DEUS alme PATER nexu hoc feliciter uti,  
Lite vacet thalamus, pernicioq; domus.  
CHRISTE novis sponsis fecundas effice tædas,  
Accensasq; tuâ lege tuere faces.  
SPIRITUS alme DEUS presta solamen in arctis  
Rebus & afflatu pectora flecte tuo.  
Sic erit in vitâ requies, in nomine fama,  
In thalamo soboles, SOLIS in Orbe jubar.  
Sed quid plura loquar, cum clauscrit omnia Votum?  
A DUCE principium, de prece Finis erit.

